



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**De Honore, Dignis Vel Indignis, Jvste Vel Inivste, Deo  
Semper Jvstissimo, Dato, Negato, Violato**

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1650**

§. 5. Innocenter reprehensi, & à Deo defensi Religiosi exemplum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48689](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48689)

rum educit, homine, per opprobria, vlcus tangente. Vnde bonitas eius laudanda, & prædicanda æquitas, dicendumque: *Bonum mihi, quia humiliasti me.* Remedia initio mordent, postea conferunt salutem: ita salubria monita principio sunt nonnihil amara, postea correctio iucundissima. *Putrida carnes ferro indigent & cauterio,* ait S. Hieronymus, *Nec est medicina culpa, sed vulneris, cum clementi crudelitate non parcit medicus, ut parcat, sanit ut misereatur.* Itaque quem diligit Dominus, corripit. Et sæpe, vbi malitia non est, correptio sola sufficit. Qua de causa de Cyriaco Episcopo Constantino-politano qui sibi *Episcopi vniuersalis* nomen per summam simplicitatem vsurpauerat, sola monitione contentus, pœnas nullas sumpsit D. Gregorius Pontifex Max. *ne, ut ait, Ecclesia unitatem perturbaret, pro causa profani vocabuli, moras faciendo.*

S. Hieronym. ad Amand. Prou. 3. 12.

S. Greg. lib. 6. ep. 24.

§. V.

*Innocenter reprehensi, & à Deo defensi Religiosi exemplum.*

Reprehenduntur autem sæpe etiam innocentes, & reprehenduntur publicè; itaq; ibi non est corrigendi locus, quid ibi Deus destinat? destinat ostendere innocentiam,

A a § patien-

Cæsar  
lib. 4. hist.  
Illustr.  
cap. 24.

patientiamq; aliorum; aliorum autem detegere diabolicam malitiam; deniq; omnes docere, ne primis rumoribus credant, cum sæpe sequens dies ostendat invidiam, & iniuriam præcedentis. *Non est diu, ait Cæsar, quòd monachus quidam stimulis invidia agitatus & superatus, quemdam ex fratribus suis adolescentem accusavit apud Abbatem, impo- nens ei crimina pessima: cui cum minus Abbas crederet, ille ad maiorem vindictam usq; ad Visitatoris presentiam suam accusationem re- servavit. Quid plura? Tanta apud illum invidi machinatio profecit, ut ipse Visitator iuveni vitia relata in Capitulo coram omnibus obice- ret; neganti, & Deum innocentia sua testem in- nocanti, non crederet, sed habitu truncato car- ceri manciparet. Post cuius discessum, Deus index iustus, invidum infirmitate peremptoria flagellavit: timens verò mori, confessus est, iuue- nem ex invidia se accusasse. Quod cum ex con- silio confessoris senioribus propalasset, statim pro Visitatore missum: qui territus ad monasterium ocys redijt, ipse carcerem intravit, ad pedes mo- nachi se prostravit, & ut sibi ignosceret, quod ig- noranter in eum deliquerat, supplicans, etiam reluctanter eum cum gloria eduxit. Hæc mihi relata sunt à quodam Abbate, qui visitationi eidem*

eidem interfuit. Apollonius: Puto monachum istum in tam graui tentatione meruisse. Casarius: Quod fornax auro, quod lima ferro, quod flagellum grano, quod uua torcular, hoc ei eadem fuit tentatio. Seruauit enim in tribulatione patientiam. Inuido autem sua erat inuidia, quod venenum stomacho, quod tineæ vestimento, quod arugo flori, quod tabes corpori.

## §. VI.

*Reprehensionum patienter ferendarum remedia.*

Præstat igitur reprehendi, quàm proietum esse ad reprehensiones; quia qui reprehenditur, si nihil habet quod emendet, habet tamen quod mereatur apud caelestem remuneratorem. Qui autem libenter obuia quæque carpit, similis est lamijs, quas fabulæ narrant, foris oculatas esse, domi oculis in vase reconditis nihil videre: ita enim isti, qui se putant in alienis perspicaces esse, ad sua cæcutiunt; neque vident, hoc ipsum esse turpissimum, omnia velle carpere. Sed tales Carpos & Momos, & Theones esse oportet in mundo, qui bonos exerceant; malos, dum mordent, sanent. Ob hos igitur, qui de natura, vel de ipso naturæ authore queritur, dissimulatis tot bonis,